

falsa esse Miracula, nec facta fuisse, sed mendaciter A scripta? Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omnino ullis literis esse credendum, potest etiam dicere nec Deos ullos curare mortalia. Non enim se aliter colendos esse persuaserunt, nisi mirabilium operum effectibus, quorum & Historia Gentium testis est, quarum Dii se ostentare mirabiles, potius quam utiles ostendere potuerunt. . . . Porro autem si multorum Deorum cultores, (qualescumque Deos suos esse arbitrentur.) ab eis facta esse Miracula, vel civilium rerum Historia, vel Libris Magicis, sive, quod honestius putant, Theurgicis credunt, quid causa est, cur illis literis nolim credere, ista B facta esse, quibus tanto major debetur fides, quanto super omnes est magnus, cui uni soli sacrificandum esse precipiunt? Hæc illo Cap. xviii. ejusdem Libri. At magnum discrimen est inter ea quæ ja-
 C dantur Gentilium Miracula, & Miracula quæ in Sacris Literis referuntur: illa enim vel causarum naturalium virtutem non superant, quæ à Dæmonibus applicantur, vel inæ præstigia sunt magicis artibus ad hominum sensus ludificandas factæ. Ista verò quæ ab Angelis, à sanctis Dei hominibus, à Christo vel Apostolis facta sunt, & in Sacris Libris narrantur, præter omnes naturæ leges, ordinemque sunt edita, adeoque causarum omnium naturalium, Angelorum etiam bonorum vel malorum virtutem superant; quamobrem ad unius Dei, cujus voluntas naturæ suprema lex est, omnipotentiam sunt referenda. Discernuntur autem verà à falsis miraculis, quòd illa fiant ad unius veri Dei cultum promovendum, ista verò ad cultum Dæmonum propagandum. Ea de re præclare differenter S. Augustinum Cap. xvi. ejusdem Libri audiamus. Respondent, inquit, homines, si ullus natura sue sensus, quo rationales creati sunt, ex aliqua parte vivit in eis? Respondent, inquam, istis sacrificandum sit Diis vel Angelis, qui sibi sacrificari jubent, an illi uni, cui jubent hi qui & sibi & istis prohibent? Si nec illi nec isti ulla Miracula facerent, sed tantum præciperent, alii quidem ut sibi sacrificaretur, alii verò id vetarent, sed uni tantum juberent Deo; satis deberet pietas ipsa discernere quid bonum de fastu superbia, quid de vera Religione descenderet. Plus etiam dicam: Si tantum hi mirabilibus factis humanas permoverent mentes, qui sacrificia sibi expetunt, illi autem qui hoc prohibent, & uni tantum Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia Miracula facere dignarentur; profecto non sensu corporis, sed ratione mentis proponenda eorum esset Auctoritas. Cui verò Deus id egerit ad commendanda Eloquia Veritatis sue, ut per istos immortales Nuntios, non sui fastum, sed Majestatem illius prædicantes, faceret majora, certiora, clariora Miracula, ne infirmis piis illi qui sacrificia sibi expetunt, falsam Religionem facilius persuaderent, eo quod sensibus eorum quadam suspensa monstrarent, quem tandem ita despicere libeat, ut non vera eligat quæ sceleretur, ubi & ampliora invenit quæ mireretur: Illa quippe Miracula Deorum Gentilium, quæ commendat Historia, non ea dico quæ intervallis temporum occultis ipsius Mundi causis, verumtamen sub divina providentia constitutis & ordinatis monstrata contingunt, quales sunt inusitati partus animalium, & celo terraque rerum insolita facies, sive tantum terrens, sive etiam nocens, quæ procurari atque mitigari dæmoniacis Ritibus fallacissimè eorum astutia perhibentur: Sed ea dico, quæ vi ac potestate eorum fieri satis evidenter apparet, ut est quod effigies Deorum Penatium quas de Troia Æneas fugiens advexit, de loco in locum migrasse referuntur, quod cotem Tarquinium novacula secuit; quod

Epidaurius Serpens Æsculapio naviganti Romanæ comes adhaesit; quòd navim quæ simulacrum Matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilem redditam, una Muliercula zonâ alligatam ad sua pudicitie testimonium movit & traxit; quòd, Virgo Vestalis, de cujus corruptione quaestio vertebatur, aquâ impleto cribro de Tiberi, neque persuente, abstulit controversiam. Hæc ergo atque alia hujusmodi nequaquam illis quæ in Populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt. Quanto minus ea quæ illorum quoque Populorum, qui tales Deos colunt, Legibus judicata sunt prohibenda atque plene agenda, Magica scilicet vel Theurgica? Quorum pleraque specie tenus mortalium sensus imaginariâ ludificatione decipiunt, quale est Lunam depicere, donèc suppositas, ut ait Lucanus, propior despu-
 C met in herbas: Quædam verò etsi nonnullis piorum factis videantur opere coaquari, finis ipse quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere. Illis enim multi tantò minus sacrificiis colendi sunt, quanto magis hæc expetunt: His verò unus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere, & Scripturarum suarum testificatione, & eorumdem postea sacrificiorum remotione demonstrat.

Et Capite xii. Verum quia tanta & talia geruntur his artibus (Magicis & Theurgicis) ut universum modum humana facultatis excedant: Quid restat, nisi ut ea quæ miracè tanquam divinitus prædici vel fieri videntur, nec tamen ad unius Dei cultum referuntur, cui simpliciter inhaerere, futentibus quoque Platonis & permulta testantibus, solum beatissimum bonum est, malignorum Dæmonum ludibria & seductoria impedimenta, quæ verà pietate cavenda sunt, prudenter intelligantur? Porro autem quæcumque Miracula, sive per Angelos, sive quocumque modo ita divinitus sunt, ut Dei unius in quo solo beata vita est, cultum Religionemque commendent, ea verè ab eis, vel per eos qui nos secundam veritatem pietatemque diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante, credendum est. Neque enim audiendi sunt, qui Deum invisibilem visibilia Miracula operari negant; cum ipse etiam secundum ipsos fecerit Mundum, quem certè visibilem negare non possunt. Quicquid igitur mirabile fit in hoc Mundo, profecto minus est quàm totus hic Mundus, id est caelum & terra & omnia quæ in eis sunt, quæ certè Deus fecit. Sicut autem ipse qui fecit, ita modus quo fecit, occultus est & incomprehensibilis homini. Quamvis itaque Miracula visibilium naturarum videndi assistunt visuerint; tamen cum sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque majora sunt. Nam & omni Miraculo quod fit per hominem, majus Miraculum est homo. Quapropter Deus qui fecit visibilia caelum & terram, non dedignatur facere visibilia Miracula in caelo vel in terra, quibus ad se invisibilem colendum excitet animam adhuc visibilibus deditam; Ubi verò & quando faciat, incommutabile consilium penes ipsum est.

Sextum argumentum ad probandam Mosai-
 F corum Librorum, totiusque Scripturæ Veteris Testamenti veritatem ac divinitatem, sumitur ex sanctissimis Legibus ac Præceptis, quæ in iis habentur. Cùm enim Dei sit qui hominem condidit, illum ad finem suum ultimum ac supernaturalem dirigere, qui non alius ab ipso Deo est, Scripturas illas divinas esse oportet, quæ Leges ac Præcepta tradunt rectè vivendi, & ad Deum tendendi, illique adhaerendi, quæ humana Philosophia non tradit. Cùm enim Philosophorum quidam dixerint, *Mibi frui meâ carne bonum est*; alii, *Mibi frui meâ mente bonum est*; alii, *Mibi frui meâ virtute bonum est*: Illi soli
 D iij qui

Sextum Argumentum.